



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Homili-||arvm Sive Sermo-||num doctissimi uiri loh. Eckij
ad-||uersum quoscunq[ue] nostri || temporis hæreticos,||
super Euangelia || de tempore || ... Tomvs ...**

... à Pascha usque || ad Aduentum,|| ...

Eck, Johannes

1534

VD16 E 292

Reverendo in Christo Patri & domino D. Gerwico Plarer, Abbati celebris
monasterij montis S. Martini de Vincis, sereniiß. Romanorum, Hungariæ &
Boëmiæ regis consiliario, literarum & literatorum ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-35259

REVEREN

DO IN CHRISTO PATRI

& domino D. Gerwico Plarer, Abbati cele
bris monasterij montis S. Martini de Vincis,
sereniss. Romanorum, Hungariae &
Boemiae regis consiliario, lite
rarum & literatorum
Mecœnati,

IOHANNES MENTZINGERVS
philosophiae professor, & theologiae auditor,
salutem precatur & felicitatem.

DEV M immortalem, quantum habet hoc &
laudis & dignitatis, Reuerende in CHR I
S TO pater, quĩ de quocunq; studiorum in
uniuersum omnium bonarumq; artium ge
nere, tum uero de pietatis maxime pfectu,
& hoc quidẽ seculo p̄cipue bene mereri, q̄ tũ omnĩu ma
xime beneficiorũ laus apparet amplior, & dignitas splen
didior, quũ necessitas maior exigit, quam quis neget nũc
esse grauissimã in sacrosanctae theologiae totiusq; pietatis
studijs, qui modo uideat nihil esse in ijs quod nõ in dubiũ
uocet, & in cõtrouersia ponãt homines quidam corrupti
mente & reprobi, ut inquit Apostolus, circa fidẽ? quoz ta
men iam insipientia paulatim manifesta fit, & est omni
bus, dum non desunt qui partim conatus eorum infrin
gant, partim ad resistendum alios fortiter exhortent.
In quorum numero R. paternitas tua sibi quoq; locũ uen
dicãrit facile p̄cipuum, quando nec laboribus ullis, ne
que conatibus parcat in hoc, ut tandem hãereses quae no
stris ijsce temporibus enatae sunt, euellantur, ecclesiaque
Christi denuo repurgetur. Id adeo uel hoc uno omnium
manifestissime declaratum est, cum R. P. T. excellentiss.

num Theologum Iohannem Eckium, præceptorem no-
strum obseruandissimum, qui ab hinc triennio Christia-
nissimorum Bauariæ ducum iussu sermones aduersus Lu-
theranos per circulum anni in lingua Germanorum uer-
nacula edidisset, feliciter est adhorrata, ut disceret illos
latine loqui, & in latinum uerteret. Vnde & opus hoc ue-
lut unice ad te pertinere, & studiosi doctiq; omnes pluri-
mum se tibi debere fateantur. Quamuis enim ad hanc
latinam editionem iam antea Reuerendissimus in Chri-
sto pater & princeps D. Albertus Cardinalis Mogontin⁹
Elect⁹ & c. ipsiusq; germanus frater & princeps illustris-
simus Ioachimus Marchio Brandenburgen. itidem Ele-
ctor, Reuerendissimus quoq; in Christo pater & D. D. Phi-
lippus à Flersheim Spirensis Episcopus, D. Eckium no-
strum adhortati sunt, eandem serio ab ipso exoptulâtes,
tua tamen R. P. illum alioquin laboribus theologicis ob-
rutum & grauius occupatum tandem persuasit, imò (ut
uerius dicâ) impulit & adiecit. Atq; merito quidem R. P.
tuæ paruit ille, neq; uel restitit diuctus, uel de suscipiendâ
prosequendâ labore longius dubitauit, eo qd R. P. tua
tum in Imperialibus comitijs, tum quoq; in Sueuici fœde-
ris plurimis conuentibus prælatorum multorum nomi-
ne inter sit, nunc uero serenissimi etiam Romanorum re-
gis consilijs adsit. Qua igitur prudentia quamq; solerti è
R. P. tua in rebus omnibus ingenio, nunquam sane tam
operose latinam illam editionem ab Eckio exegisset, nisi
eandem quamplurimis fore utilissimam perspexisset. Vn-
de quid reliquum esse dicamus, nisi ut docti omnes & q̄t-
quot laborem illum sibi usui fore cognoscēt (plurimum
autem conducet omnibus catholicis) grarias habeant &
agant P. tuæ lōge maximas, quod tuis monitis primum,
deinde impulsibus opus hoc in lucem prodierit.

Cæterum quod ad me attinet, nemo sane nisi iniquus
rerum omnium estimator & iudex, temeritatis me alicui⁹
reprehendet in translationis huius suscepto labore, quan-
do ipse uirum mearum & tenuitatis non ignarus, noui
me non eum esse, qui fesso succurram, humerosq; subiiciâ
Atlanti. Vnde & datum mihi negocium illud primū recu-
sare cœpi, imparem me tanto ratus esse labori. Deinde ue-
ro ob multas serias & honestissimas causas eo lubētius cō-

sensu, quod animum mihi quoque addebat Socrates. Is enim
cuidam cupienti quidem ire ad Olympia, sed molesto lon-
gi itineris labore deterrito persuasurus profectioem, ob-
iicit quod domi saepenumero rotos prope dies ambularer,
nunc ante prandium, rursus post cenam, si itaque domesti-
cas illas ambulationes proferret ad quinque sex uel dies, fu-
turum ut facillime perueniret Olympia. Quo dicto doce-
re utique uoluit uir ingentis, id ipsum quod homines in-
adeundis terret laboribus, imaginationem potius esse quam
laborem. Hinc igitur ego quoque recepto animo, ipse me-
cum laboris quidem & negotii tum prolixitatem expen-
di, tum difficultatem: sed tamen uicissim consideravi ubi
que ualere ingenium, modo quis intenderit, sedulitate quae-
que quantalacumque futurum, ut laboris immensitate in fal-
lerem. Maxime uero omnium cum perspexissem innume-
ros pene praepetoris illius nostri labores, & eos maximos,
iam publice theologia accuratissime & diligentissime pro-
legendo, iam ad populum declamando, iam uero subinde
alia ex alijs pro fide catholica meditando & scribendo,
praeter reliquam illam lectionem frequentissimam plane
que continuam. Vnde quantum utilitatis uniuersae eccle-
siae, quantum fructus studiosis doctisque omnibus, quantum
gloriae & laudis gymnasio nostro accedat, quis est obse-
cro qui ignoret? Acceptis itaque ex suo ipsius autographo
sanctorum patrum allegationibus, subijci hunc et
tyrocinium feci, suo tamen iudicio & correctioni omnia
subijciens. Inde quoque quid profectus mihi meisque theolo-
gicis studijs accesserit, non est huius loci referre. Equidem
bonis omnibus, & catholicis hominibus, quorquor hae no-
stra opera utentibus, uelim eam esse utilissimam, neque gra-
uabor de caetero, si modo per occupationes licuerit, simi-
li labore subleuare praepetore, ut ille noua semper me-
ditetur, pro S. Romanae & apostolicae ecclesiae incremento,
fideique Christianae & fidelium omnium aedificatione.
Sed nunc iam feliciter ualeat R. P. tua, & mea haec scripta
in optimam partem suscipiat, simulque sibi me habeat com-
mendatum, Datum Ingolstadt, in ipsis ferijs Paschalibus,
Anno M. D. XXXIII.